

2^o Princeps, perspecta belli iustitia, eam proponere debet parti adversae, nec bellum inchoare potest, si satisfactio competens ei offeratur; imo etiam inceptum bellum, oblata satisfactione adaequata, relinquere tenetur, sin minus ex rigore iustitiae, saltem plerumque ex charitate, modo pars altera omnes expensas iam factas compensare velit, nec ad bonum publicum necesse sit, ut eius petulantia retundatur.

3^o Licet in bello insidias parare, stratagemata adhibere, ut hostes fallacii decipiantur, et in discrimina coniciantur. Haec enim non reputantur mendacia, quia culpa sua decipiuntur adversarii, cum media illa in bello adhiberi soleant: sic licet fingere fugam, uti vexillis hostium, etc... Illicitae autem sunt fraudes, quae nulla prudentia possunt praecaveri, v. gr. veneno inficere puteos et fontes, etc...; hae enim sensu communi contra iura belli pugnant. — S. Lig. n. 410.

4^o Licet in bello iusto urbes et arces obsidere, tormenta contra illas explodere, imo aliquando monasteria et Ecclesias destruere aut comburere, in iis spoliare et occidere, si v. gr. hostes Ecclesia ut arce ad se defendendum utantur. — Item licet aliquando urbem captam in praedam dare, sed non nisi ob gravissimas rationes. — S. Lig. ibid.

5^o Duces exercitus et milites summopere praecavere debent, ne excedant post victoriam in victis puniendis: sunt enim legitima ministri vindictae, non vero latrones et sicarii; praesertim vitare debent quidquid crudelitatem aut animum nocendi sapit.

6^o Duces et milites laedere nequeunt legatos partis adversae, quia iure Gentium ubique sunt inviolabiles; nec mittere possunt speculatores, qui Principem aut Ducem exercitus vel alios regni Primates occulte trucidant; quia hoc ex omnium consensu ad perfidiam pertinet.

DE VI. ET IX. DECALOGI PRAECEPTO

*Non moechaberis. — Non desiderabis uxorem eius (proximi).
Exod. 20. 14.*

410. — Iuvat imprimis referre, ac propria nobis facere verba S. Ligorii in principio *Tract. de sexto Praecepto*:

Nunc aegre materiam illam tractandam aggredimur, cuius vel solum nomen mentes hominum inficit... Utinam brevius aut obscurius expli-

putaverat iustum, in ipso tamen conflictu eius iniustitiam agnovit et dum fugit, videt adversarium insequentem quem effugere non potest, nisi eum occidat, posset in sui defensionem eum occidere, quia cum revera innocens sit non est dignus morte, quam adversa-

rius ei vult inferre, cui si de veritate constaret, deberet eum relinquere. Apud Lugo (*De Iust.* disp. 10. n. 144.), cui tamen ista (ibid. n. 176.) minus arrident. At non aegre incommoda vitari possunt, quippe in fuga miles se dedere insequentibus potest, et ita mortem effugere.

care me potuissem! Sed cum haec sit frequentior atque abundantior confessionum materia, propter quam maior animarum numerus ad infernum delabitur, hinc opus mihi fuit, ad instructionem eorum, qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum quemadmodum et alium de debito coniugali..., legant ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abiicientes, atque eo tempore saepius mentem ad Deum elevent, et Virgini immaculatae sese commendent, ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur.

411. — Sextum Decalogi praeeptum prohibet quamlibet luxuriam externam, id est opere patratam. — Nonum vero praeeptum prohibet etiam luxuriam mere internam, impudicas nempe delectationes, ac desideria.

Luxuria est inordinatus appetitus rei venereae, et consistit in delectatione venerea voluntarie admissa extra matrimonium. Delectatio autem venerea est delectatio orta ex commotione spirituum generationi inservientium. Non est igitur confundenda cum delectatione mere sensibili, quae oritur ex proportionem obiecti sensibilis ad sensum aliquem, v. gr. obiecti visibilis ad visum, audibilis ad auditum, etc. Alia idcirco est materia seu obiectum luxuriae, alia sensualitatis. Delectatio sensibilis aut culpa vacat, aut veniale, saltem plerumque et *per se*, non excedit (1).

(1) Diversas apud diversos AA. reperire est in hac re distinctiones. Nam praeter distinctionem venereae delectationis in *veneream sensibilem*, et *veneream spirituales*, quam post Salmanticenses (Tr. 26. c. 3. n. 31.) cum nonnullis admisit (Tr. 12. q. 3. p. 295.) Roncaglia (in praeced. edit. mendose legebatur: *quam post Roncaglia admisit S. Alphonsus*; quod mendum utiliter et VV. pag. 286. adverterunt) quidam rursus *veneream* distinguunt in *veneream simpliciter*, et *veneream sensibilem* (Vid. Sanchez, *De Matrim.* lib. 9. disp. 46. n. 4.); quidam *veneream carnalem*, ac *sensitivam* pro una eademque videntur accipere (Vid. Laymann, lib. 1. Tr. 3. cap. 6. n. 6.-8.); alii *sensitivam* ac *sensibilem* prorsus a venerea distinguunt illam rursus partiuntur in *pure sensibilem*, et *carnalem sensibilem* (Vid. Croix,

lib. 5. n. 93.); alii demum, uti etiam A., simpliciori bimembri distinctione utuntur in delectationem *veneream*, et *sensibilem*, quam etiam *naturalem* vocant. Quas quidem varias distinctiones, atque adeo varias earundem penes diversos Auctores definitiones, dum quidam parum advertunt, in illud inciderunt incommodum, ut quibusdam Auctoribus eas sententias affingerent, quas illi ne per somnium quidem cogitaverant.

Interim quod spectat ad delectationem *sensibilem* seu *naturalem*, prouti ab A. aliisque accipitur, quae nempe a proportionem obiecti cum organis sensuum exurgit, quaestio de reatu ipsius facile solvitur. Perinde enim est, ac quaerere, quis reatus esse queat in delectatione, quae, v. gr. ex olfactu floris, ex caeli aspectu, aut ex haustu gelidae percipitur. Merito

Variae sunt luxuriae species, prout diversa sunt eius obiecta. Sic specie differunt tactus et aspectus impudici; actus solitarii, et actus cum aliis exerciti; actus consummati, et non consummati; item actus consummati

proinde La Croix (lib. 5. n. 94.) cui subscribit Viva (in Prop. 40^a damnata ab Alexandro VII, n. 20.) postquam dixit, eam in se non esse malam, nec aliam in ea malitiam reperiri posse, nisi quae generatim sit in actu, qui ad finem rationabilem non referatur, lectorem remittit ad n. 210. eiusdem libri, ubi generatim de fine agit actus humanos cohonestante; quod tamen argumentum infeliciter versat, confusiones scilicet in hanc materiam a iansenianis inductas non penitus devitans. Vid. supra n. 32., et not. 8, pag. 27.

Caeterum cum ea delectationis sensibilis, insoles sit, quam descripsimus, mirum sane videbitur, quod S. Alphonsus (lib. 3. n. 416.) quaestionem instituat, *An detur parvitas materiae in delectatione sensibili sive naturali nempe si quis delectetur de contractu manus feminae prout de contactu rei lenis, puta rosae panni serici et similis* atque addat tenendam esse sententiam negantem, advocans in eam suffragium plurium auctorum, quos a Salmanticensibus (de VI Praec. cap. 3. n. 40.) allegatos dicit. Mirum profecto videri debet quod quaestione sic generice proposita eaque praesertim addita explicatione, negetur dari parvitate materiae.

At enim aegre quis verum S. Alphonsi sensum assequatur, nisi Salmanticenses adeat quorum doctrinam compendio exhibet. Salmanticenses itaque non de qualibet sensibili delectatione tractant, sed expresse quaestionem agitant de ea, quae quaeratur et percipiatur ex osculis, tactibus, et amplexibus etiam personae adultae ac diversi sexus (Vid. l. c. n. 34.). Et licet (ibid. n. 41.) asserant, *speculative veram et probabilem opinionem esse quod eiusmodi actus, si fiant praecise ob delecta-*

tionem naturalem et pure sensitivam quae sensui tactus correspondet ob proportionem cum suo obiecto sensibili, qualis est quae datur in tactu rei lenis et suavis, sistendo ibi et secluso ulterioris periculo delectationis carnalis et venereae, vacant culpa mortali; quia talis delectatio ex se non est moraliter mala, sed indifferens non secus ac ipse tactus, qui ratione sui nominat actum indifferentem, ut docent S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 4., et communiter Thh. et sic fieri potest ob aliquem finem honestum; attamen merito subdunt (ibid. n. 48.) quod cum propter corruptionem humanae naturae eiusmodi actus vix deduci in praxim ob delectationem sensitivam possint quin coniungatur delectatio carnalis ac venerea; ideo fere suberit occasio ac periculum peccati mortalis, nisi iusta causa haec fiant, ut not. seq. dicitur. Et quidem (ibid. n. 40.) expresse monent, auctores, qui gravis culpae hosce actus damnant (quos nimirum S. Alphonsus dein quasi pro sensibili delectationis reatu allegavit), non de delectatione mere sensibili loqui, sed de carnali ac venerea, atque adeo in quaestione de delectatione pure sensibili prorsus abs re allegari.

Huc igitur revocetur doctrina proposita a S. Alphonso; qui praeterea scite ibidem advertit, aliud esse agere *propter delectationem*, aliud agere *cum delectatione*. Nam hypothesis de osculis, amplexibus et tactibus, qui habeantur ob meram delectationem sensibilem ex ipsis praecise exurgentem, in praxi vix locum habere videtur. Quippe et praecisio illa nimis est difficilis; et reipsa qui studiose delectationes quaerit ex huiusmodi tactibus etc., profecto et interiori animo, et saepe exterioribus quoque actibus ad ulteriora provehetur. Si

iuxta naturam, et actus consummati contra naturam. Hae autem species alias etiam subordinatas seu inferiores species sub se continent, ut ex dicendis patebit.

Luxuria alia est *directe* quaesita, alia *indirecte*. Prior habetur, quando voluptas carnalis praecise in se intenditur; posterior vero quando aliud intenditur, ex quo voluptas carnalis praeter intentionem suboriatur, ut fit in aspectibus vel lectionibus minus castis ex curiositate vel alio fine habitis.

412. **Principia generalia.** — I. Luxuria cuiusvis generis, vel speciei, est *per se* grave peccatum. Ratio est, 1^o quia graviter pugnat contra naturam. Usus enim rei venereae ex natura sua institutus et necessarius est ad solam conservationem et propagationem generis humani; non potest igitur usurpari extra matrimonium (imo ne in matrimonio quidem nisi debito modo) sine gravi recti ordinis perturbatione; 2^o quia sub gravi a Deo naturae Auctore prohibetur, ut ex innumeris S. Scripturae locis constat; sic Galat. 5. 19.: *Opera carnis quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria...*, quae praedico vobis sicut praedixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

II. Luxuria *directe* voluntaria in quovis genere nunquam parvitate materiae admittit. Ratio est, quia quaevis delectatio *directe* quaesita subversionem naturalis ordinis a Creatore stabiliti necessario inducit. Constat etiam ex propositione 40^a ab Alexand. VII damnata, quae sic iacet: *Est probabilis opinio quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.*

III. Luxuria autem *indirecte* voluntaria admittit parvitate materiae; quia nullus tunc est consensus seu *directa* intentio in voluptatem veneream, sed tantum in causam, quae leviter vel graviter est peccaminosa, prout leviter vel graviter in delectationem influit (2). — *Ita omnes.*

vero huiusmodi delectationes non quaerantur, ut plurimum quaestio redibit de actibus, qui non *propter delectationem* (saltem advertenter et expresse quaesitam) sed *cum delectatione* fiant. Tunc autem iudicium de reatu ex inspectis tum natura causae, quae ad hos actus inducit, tum periculo consensus in effectus ferendum erit, ut in nota proxime sequenti dicitur.

(2) De causis motuum carnalium, connexaeque delectationis (qui quidem motus etiam ad ultimum usque pollutionis effe-

ctum pertinere possunt) triplex hypothesis fieri claritatis gratia debet.

Prima erit, quando quis apposite et de industria hosce motus intendens, causas ipsorum ponit, ut delectatione eorum propria fruatur. Et tunc iam habes luxuriam *directe* voluntariam, de cuius reatu nihil est ambigendum.

Secunda hypothesis plane opposita erit, quando eiusmodi motus ultro ac naturaliter excitentur, nulla iis causa voluntaria ab eo data qui illos tunc mere patitur. Et

Agendum nobis hic est de peccatis externis tantum; de internis enim, seu de morosa delectatione et pravo desiderio, iam dictum est in Tract. de Peccatis, n. 167. et seq. Hinc 1^o de peccatis non consummatis; 2^o de peccatis consummatis dicemus.

tunc nulla ratio est, cur quaeramus reatum in voluntate tamquam eorum causa.

Tertia demum inter praecedentes media erit, quando voluntarie actio quaequam ponitur, quae excitandis iis motibus causam aliquam, proximam vel remotam praebet; neque tamen eo fine seu intentione actionem quis ponit, ut motus eiusmodi in se excitet, aut iis perfruatur. Tunc autem valet principium, quod ex S. Alphonso alias (not. ad n. 176.) retulimus, nempe hisce effectibus, utpote voluntariis solum in causa, tantum reatus inesse, quantum inest ipsi causae. Unde S. Alphonsus concludit (lib. 3. n. 484.): *Communis et probabilior sententia docet, pollutionem non esse mortalem, nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriae... Ratio est, quia cum pollutio non sit voluta nisi in causa eo gradu mala erit, quo mala est ipsa causa.* Et quidem vigilanter dicit, *ex causa per se mortali, in genere luxuriae;* si enim causa, utut graviter in se culpabilis, sit extra luxuriae genus, uti v. gr. ebrietas aut esus carnum die Veneris, vel in genere quidem luxuriae sit, sed leviter culpabilis, ut v. gr. curiosa lectio venialiter turpis, tunc deest efficacia causalitatis, et (ut ait S. Alphonsus l. c.) *cum causa leviter ad pollutionem concurrat, non est gravis obligatio causam illam vitandi ob pollutionem, quae praeter intentionem accidit.*

Quinimo cum non omnes actiones, quae gravem culpam inferunt in genere luxuriae per se habeant illam efficaciam, nec etiam pari efficacia polleant quoad omnes homines, sed diversa plane pro diversa personarum infirmitate; hinc ratione effectus abesse gravis culpa poterit, etiam quando

gravis culpa affuerit in actu, qui occasionem motibus praebuit, qui propterea *per accidens* subsequi tunc censentur. Unde Salmanticenses concludunt (Tr. 26. cap. 7. n. 41.): *Si in aliquo corpore ratione infirmitatis... vel alterius causae sit positive indispositio ad Venerem, esto illi applicentur causae, quae alias ex se graviter in pollutionem aut carnalem delectationem influunt respectu aliorum...; respectu tamen illius... non erunt graviter influentes, sed solum leviter aut etiam nullo modo seu erunt causae materialiter tantum de genere luxuriae; quapropter communiter... ratione eorum influxus in pollutionem mortaliter non peccabit.*

Omnis vero culpa abesse poterit, quando actio per se licita sit et honesta; licet praevideantur sequuturi pravi motus, quos tamen nullo modo quis velit nec intendat. Unde S. Alphonsus (lib. 3. n. 483.): *Si praefatae actiones (quas alioquin n. 482. dixerat esse causas graviter influentes) ponuntur ex causa necessaria, vel utili, vel convenienti animae aut corpori, tunc... pollutiones ex ipsis provenientes, adhuc praevise, non sunt peccata, dummodo absit consensus periculum. Ita communiter Sylvius, Croix, et alii cum communi et S. Thoma.* Et reipsa ita Doctor angelicus (3. q. 80 art. 7.): *Praecedentes cogitationes lascivae quandoque possunt esse omnino sine peccato, puta cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentia et delectatione, non erunt cogitationes immundae, sed honestae; ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex auctoritate Augustini... Verba*

CAPUT I.

DE PECCATIS LUXURIAE NON CONSUMMATIS

Peccata huius generis sunt oscula, tactus, aspectus, sermones et lectiones turpes.

ARTICULUS I. — DE OSCULIS ET TACTIBUS IMPUDICIS

413. **Statuenda.** — I. Oscula (1) et tactus vere impudici, idest habiti sine causa in partibus inhonestis alterius, vix unquam a peccato mortali excusari possunt, etiam secluso affectu venereo, ob gravem in-

autem Augustini (*De Gen. ad litt.* lib. 12. cap. 15.) sunt: *cum hoc tam sine peccato fiat quam sine peccato a vigilantibus dicitur.*

Actuum autem, qui ratione necessitatis sint sine culpa S. Alphonsus haec exempla subdit (lib. 3. n. 483.): *Hinc etiam praevisa pollutione (et a fortiori haec valere debent de pravis motibus minoris momenti) involuntaria licet parochis et etiam aliis confessariis audire confessiones mulierum, ac legere tractatus de rebus turpibus, chirurgis aspicere et tangere partes feminae aegrotantis ac studere rebus medicis... servire in balneis... Licet alicui, qui magnum pruritus patitur in verendis, illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur.* Exempla vero actionum culpae expertium ratione cuiusdam decentiae haec habet (ibid.): *Licet aliis alloqui, osculari, aut amplexari mulieres iuxta morem patriae et similia.* Denique (ibid.) quoad actiones, quae non obstante praevisa pollutione, licite exercentur utpote *convenientes animae vel corpori*, tria haec exempla addit; quod nempe liceat 1^o equitare non modo necessitatis et utilitatis, sed etiam recreationis gratia; 2^o decumbere certo quodam corporis situ ad commodius quiescendum; 3^o cibos calidos aut potus moderate sumere, et honestas choreas ducere. Et quidam ad haec omnia et singula advertit S. Alphonsus, eiusmodi sententias

ad doctrinam communiter receptam pertinere.

Prae oculis tamen habenda est limitatio quam ex communi sententia S. Alphonsus (l. c.) apponit, *dummodo absit periculum consensus*, in pravos scilicet motus, subortamque delectationem. Quippe obligatio cavendi periculum peccandi sufficit, ut illicita evadat actio quae alioquin nec ratione sui nec praecise ratione motuum, quos inducit, inhonesta foret.

Quod si quaeratur, cuiusmodi esse debeat periculum, quod *graviter* illicitam efficiat motuum causam; illud sufficiat in praesens innuisse, normam desumi ex iis posse, quae in *Tractatu de Poenitentia* tradi solent de proxima peccandi occasione; quippe quae ideirco removenda seu fugienda est, quia nimirum peccandi periculum inducit. Illa itaque lapsuum frequentia, caeteraque adiuncta, quae ex communi doctrina occasionem *proximam*, et necessario auferendam constituunt, haec eadem constituent illud periculum, propter quod a ponenda motuum carnalium causa abstinere quis obligetur.

(1) Hoc loco Auctor denotat oscula, quae partibus inhonestis infinguntur. Hoc autem discrimen inter huiusmodi oscula et tactus est, quod adhibendi illos tactus iusta aliquando causa subesse possit, v. gr. ad medendum; non item vero deosculandi.